



# Canonici indocti Lutherani.

<https://hdl.handle.net/1874/429769>

h

Argumentum

De rebus in capitulo Reverendissimi  
in ecclesia Augustana Indocti  
Canonici Indocti

**CANONICI INDOCTI**

**LV THERANI**



Argumentum epistolæ.

**E**ccio, quod in epistola ad Reuerendum Misnen  
sis ecclesiæ Antistitem Canonicos indoctos Lue  
theranos & seminatores errorum Lutheri vocasset, re  
spōdent Canonici indocti, quatenus & qua ratione sint  
Lutherani.

Gloriosissimo, superdoctissimo triumphato-  
ri Magistro nostro Magistro Ioanni Eco-  
cio Theologistæ Canonici indocti.

**S**I præter incitiam quam nobis impropere Eccie ma-  
gnifice, nihil aliud etiam, Martino Luthero obieci-  
ses, cui nos prudentiæ tuæ videmur amplius quam  
veritati fauere. Territi sane, portentoso, superciliosoq;  
magisterio tuo, nostra frueremur felicitate, nempe sua-  
uissimo ruditatis beneficio, vt enim ærumnosam, vobis  
Herculibus vitam emetiuntur superi ( imo ipsi immodi-  
ca sciendi libidine & arrogantiâ quicquid id est mali vo-  
bis ipsis inuehitis ) ita nobis tranquillam nō inuident.  
Proinde cum prope semper nullis noster tecto gauden-  
tium & vmbra calamus infensus fuerit, aduersum te  
quoq; pararetur minime. Nam quæ insania, quis furor,  
indoctos ( quos vocas ) cum Apollinis filio, imbelles cū  
fortissimo, obscuros cum clarissimo congregi: Non tam  
incogitantes, non tam oscitabundi, non tam stupidi, nō  
tam faxei sumus, vt quod omni propulsandum sit cona-  
tu, vltro adceramus periculum, præsertim quod iam pri-  
dem fatis nobis perspicuum, nunq̄ tibi vel disputaturo,  
vel scripturo, forte ne mortuo quidem defutura verba.  
Hactenus itaq; dum tu gloriæ studeas impendio, nos  
tranquillitati non tam imprudenter quam ignauiter con-  
sulimus. Atqui nunc cū insignis tua modestia, quæ & in  
prouerbium cessit, Martinum Lutherum, vitæ sancti-  
monia nobis commendatū, ecclesiasticæq; Theologiæ

vindicem diligentissimum, simulac libertinum, priuatum & publicum, Manichæum Vuiclefistam, Husitam, & sexcentis nominibus alijs vocans, Christianum haberi ferre nequit, & vt ex nobis etiam aliquid tue gloriæ ad crescat, in epistola ad Reuerendum Misnensis ecclesiæ Antistitem, quæ tua est columbina, adeoq; theologica simplicitas, nos quoq; pientissimo præfuli inuidiosos, toti orbi, quantum in te est, suspectos facis, nos Lutheranos & illius errorum seminarios appellans, hoc est tuo iudicio, hæresiarchæ pessimi, subsidiarios, præsidia, amicos, & patronos, velimus nolimus, cogimur tibi ecclesiæ patrono, & assertori, filiorūq; leui conflatore & emundatore aliquantam vitæ nostræ rationem reddere, si forte hanc labem abstergere liceat. Siquidem & te doctore hæreseos crimen malignius quã via Christiana modestia patienter toleretur. Possimus autem (nam nec hoc indoctis negatum est, qui & suis nonnunquam ferocunt aculeis) exemplo strenuitatis tuæ, modestiã remittere, stomachari, & plane debachari, nisi tuum nobis exploratum foret ingenium, Iterum quæris quibus scabiem tuam offrices, iterum quæris quos insigniter æcissiles, vt neminem non contemptui habeas, nemini parcas, nullum non laceffas, vt cum Ismaele vnus oppugnes omnes. Parum tibi videtur cum doctis gerere bellum, indoctos etiam prouocas, & quasi confectum cum præceptoribus sit prælium, sæuis & in discipulos & in patronos, ne quid reliqui sit, quod nõ potentia brachij tui conteratur, Dein vbi vel nos compescueris vel etiã

et est  
iuria, & y  
tribus affio  
re.

non pro arbitratu tuo successerit, caueant sibi typogra-  
phi. caueant praela, caueant vicina quæq; ne iniquo mar-  
te tecum dimicent, adhuc ex recenti strage furibundo,  
Cæterum nobis innocentiam candoremq; nostrū tue-  
ri quam maledicentiæ tuæ respondere magis videtur  
operæpretium, Principio igitur, ne muliebriter conrixe-  
mur, cum inficias ire nō potes, tot exemplaribus, adeo  
q; tuo ipso, conuincantibus, hæc per te epistolæ inserta,  
profer in medium, qua ratione id lædoriæ imo conuicij  
vel dissimulari, vel æquius interpretari poterit, vt semel  
faceat similitas omnis, Nulla equidem in promptu est  
qua te excusamus, at plurimæ nobis patrocinantur, Nā  
quid tu Ludderanum vocas, nempe hominem pestife-  
ris hæreticisq; opinionibus imbutum, satis & ad fasti-  
dium vsque totius orbis auribus, licet incassum, mul-  
to iam tempore instillasti. Quod si vel maxime obticu-  
isses, nonne vere Christianis odiosa per se factionū no-  
mina, etiam ea quæ ob beatorum patrum memoriā alio-  
qui suspicienda. Videnturq; id tibi nihili, nisi & agnomi-  
nes seminarotes errorum, quos pestilentissimos validi-  
us clamas quam comprobas. Ad hæc, ne te poenituisse  
dicti sciatur, in marginem Asterisci loco scribis, Ca-  
nonici indocti Lutherani, timens forte, ne somniculo-  
sus lector præteruolet denuo censes admonendum, Si  
stat pedem, dicta diligentius secum perpendat, fidelius  
memoriā reponat, sibi caueat, tibi grate & applaudat,  
nobis succenseat. Vides hic bone vir, insignite hic omnia  
magis ad exulcerandos, quam conciliandos animos at-

tinere, atq; adeo vt plane merearis talionem reportare.  
Cæterum id nostro abludit instituto, lege igitur si ma-  
gificentia tua non dedignetur, quid nobis virū dei con-  
ciliarit, & quatenus Lutherani simus. Non est quod su-  
spicere, priuatarum affectionum studia, Haud tanta in-  
ter nos familiaritas intercedit. Nulla hic lucelli spes, Ex  
mendicantium familia est, elemosynis viuūt, sed nouan-  
darum rerum, nos cepit cupido, non illa pacis, & concor-  
diæ disturbatrix, sed conciliatrix, Quia enim sæculi hu-  
ius ferrei moribus, nihil est deprauatius, nihil corruptio-  
us, quibus hic mederi sua eruditōe studet dum pacem  
annunciat, obedientiam prædicat, humilitatem cōmen-  
dat, & nihil inuitius agens quam quod tecum & cum  
tui similibus rixando bonas horas male perdere cogit ut  
Contemptū mundanarū rerū, gloriā cœlestiū, Christia-  
nismi scopū subinde monstrat, ambitōem execrat, auari-  
tiā cleri abominat, simoniā & Rhomanæ rapacitatis im-  
posturas cæterasq; pestes, psciudit, Quis nisi mente mo-  
tus malignissimorūq; morū fuscifer tantas aboleri pe-  
stes, non optarit? Quis Christianus regnum Christi no-  
lit, quod immutet, innouet, & emendet omnia? Quis no-  
stræ imperitiæ sugillationem abhortens non habet in  
votis, vt profligatis sterilibus, infelicibus, & ingeniper-  
dis restituantur fœcundiora, beatiora, sanctioraq; litera-  
rum studia? Utinam autem vt reflorescere bonas artes,  
ita & mores redire videamus, id quod Martini est stu-  
dium, Tu vero magistrum honestatis impugnas, & qd  
ad literas pertinet, nouos consarcinas commentarios ad

perdendas generosas adolescentum in doles, quasi non iam ante nugis simus ad obruti. Porro minori periculo intentatur hæc nouandarum rerum cupiditas, quã ver-  
bosius expurgetur, sed si omnino id in nobis damnabi-  
tur, post hæc fortassis non vsq; quaq; indocte satisfacturi  
sumus, Accedit ad hæc causarum præcipua. Pius magus  
est Lutherus, indoctos nostri generis sibi philtris de-  
uincit, Alioqui nulla ratio capit, tam crasso capite viros,  
nisi incantatos gratiam cum Musis inituros, mirificum  
pharmacum, quod qui miscet, altero orbe pene diffitũ  
inebriat. At nos tetrae filij apertius loquamur, & scaphã  
scapham, ferramq; ferram vocare oportet. Germana ve-  
ritas & inuiolata virtus, quæ deos hominesq; in amo-  
rem sui pellicere queunt, ipsæ ipsissimæ sunt quæ nos  
huic deuinciunt. Videmur nunc nobis videre, quid ad  
hæc modestia Ecciana. Quam iactet manus, oculos, ca-  
put, Quam manibus, pedibusq; contestetur, nihil vnq;  
vero absimilius dictum. At sui mores sinendi sunt ho-  
mini, quos præter mortem illi adimet nemo, Nos insti-  
tutum nostrum certioribus argumentis quam asseuera-  
tione sola persequemur. Diu pleriq; nostrum nescieba-  
mus ater ne an candidus esset Lutherus, sed & Lutheri  
nomen plane incognitum, ante paucos autem annos de-  
clamatiuncule quædam populares illius, tumultuario &  
repentino vt videtur calore scriptæ, in manus nostras  
venerunt, in quibus decem præcepta Mosis enarrans  
velamen ab oculis illius remouet, vnde tum sua eruditio-  
ne, perspicuaq; claritate præstitit, vt supra morem scho-



laeticorum, indocti nos sublimius de Christo, sanctius  
de euangelio sentiremus, positoq; supercilio parū imo  
nihil nobis, multum, imo omnia Christo deo tribuere  
mus, sic sese primum nobis insinuauit, mox fama super  
ueniens & viri innocentiam docens opinionem quam  
de illo habebamus comprobauit. Quid faceremus bo  
ne Ecce, habendus ne erat odio? floccipendendus ne  
erat, ingrati ne esse debebamus, Quomodo tu eiusce  
modi tractares discipulos, Sub hæc concionatores qui  
dam officij sui male memores varijs in locis, plus æquo  
condonationibus Pontificum, quas indulgentias vocāt  
tribuentes, multorum seducebant animos, confidentiū  
pollicitatōibus huiuscemodi, vel abiecta veræ poeniten  
tiæ cruce salutem se affecturos. Quid doli, quid frau  
dium, quid imposturarū sub sanctimoniæ prætextu per  
maledictos nugiundos committebatur, vel tacentibus  
nobis, nemo hodie est, qui nesciat, Silebant Theologi  
omnes, conuiebant imo probabant Episcopi, Refuta  
bat concionatorum nullus, vnde ceu religioso silentio  
licentiosæ iniquitati authoritas quotidie maior accede  
bat. Inualueratq; adeo id mali, vt iam nō iubileo, & quin  
quagesimo q; anno, sed quotannis non semel, sed iterū  
atq; iterum, nec arduis ex causis, sed plane tenuibus &  
commenticijs, non sine animarum delusionibus quæsto  
res multi obambulant. Primus tunc omnium quem  
nos scimus Lutherus rerum indignitate perpensa, apud  
Vuittembergenses in scholis de ijs rebus maturius pro  
positis conclusionibus disputare cepit. Quæ statim mi

ra celeritate per Germaniam sparsæ, & singulari fauore, a doctissimis etiam quibusuis a te forte aut ignotis aut contemptis exceptæ, quod fraudes iam non pauci subolerent, tamen si nullus periclitari vellet primus ut fieri solet, Hic tu contra antesignanus cristam erigebas Eccî, turbaturus cælum, terram, & omnia, modo saluæ manerent indulgentiæ, Mittimus plæraq; vbi ventum est in harenam, aiunt frigidius nihil vnq; tractatum, Deploratasq; plane indulgentias, ita ut si reuiuiscere debeant vel nouæ excogitandæ, quibus ille reducantur ex inferis, vel simulachra mortuorum honoribus prosequenda sint, Nonne ob hoc, modestiã etiam tuam Magister noster eximie, deceret gratias summas agere Martino, qui si nulla, certe hac in re eruditioem reddidit. At non ideo dabimus errores a nobis disseminatos, nisi enim iam disseminata fuissent Lutheriana, quomodo ad nos, qui ex indocto vulgo sumus, & altero pene mundo intercipimur peruenissent. Annon hoc calcographorum negotiũ est, qui simul atq; recentiora quæpiam suboleuerint, veritati consentanea, & applausibilia, ut lucrum faciant, ea magis extorquent, quam ambiunt, imo magis surripiunt quam extorquent, verum tua bella, ne delitescant, quis satagit. Nonne vix exoras certis conditionibus, nec tradis sed obtrudis. Pauca tamen sub incudem redeunt nisi forsitan ut magis traducare, Scis tu nunc læpius Lutherana & varijs prælis excusa, & credis indoctos Canonicos tantum molestiarum voluis

se subire, cum tua tamen interim apud non paucos,  
etiam doctos fastidiantur, etiam ab indoctis impro-  
bentur. Veritatem ne putas sub modio posse condi?  
Rem quæ ex deo est, aboleri posse credis? At hinc li-  
tis origo Tu errores vocas, nos sophisticis hactenus  
argutis persuaderi non potuimus? Solis enim indo-  
cti nos ijs libris addicti sumus qui canonici & om-  
nium consensu recepti, suscipi decipi facimus, si quid ali-  
ud efferatur, quod ijs aduersetur, Magnificamus que-  
cumque proximius accedunt sacris, Omnino, nec ange-  
lum nec apostolum quemuis, vel e caelo venientem  
si contradicit Euangelis audiemus. Interpretationem  
autem Evangelicæ scripturæ, quantumuis indocti si-  
mus, a priscis illis authoribus, qui non tanto interual-  
lo, ab Apostolorum abfuerunt temporibus discere ma-  
lumus, quam a te farinae tue præceptoribus. Et an-  
nalibus, historiisque libentius nos credimus, quam hu-  
manis & tyrannicis quibusdam constitutionibus. Pa-  
pias Hierapolitanus auditor Ioannis insipienter ne-  
& indocte tibi præfatus videtur, in libros explanatio-  
nis sermonum domini, quod noluerit varias opinio-  
nes sectari, sed Apostolos habere authores, vti de eo  
Eusebius & Hieronymus narrant. Verum viua illi ora-  
cula contigerunt. Nos adacti necessitate literarijs apo-  
stolorum, & quibus apostolicus est spiritus monu-  
mentis contenti sumus. Iam satis liquidum tunc, an Lu-  
therus Evangelio propius incedat, vter receptoribus  
imitatur authoribus, vter fidelius, eruditiusque patrum

dicta citet, vter honestiorem scopum spectet, Fontes  
aquæ viuæ quærimus, tu nos ad lacus detritos, & am-  
neis turbidos duces: Christum quærimus vbi nascat̃  
ostendatur, Igitur vel nos itineris duces, tu sequere,  
vel te præeunte sequemur. Verum tu Herode vafrior,  
& nos morareris si obsequeremur, nunc Vuicklefi-  
stas, nunc Manichæos cognominares, & inter idola  
sophismatum confidens, comitatum non polliceris.  
Quo terapit insana mordacitas, immodicumq; sen-  
tentiaæ tuæ studium. Quis arrogantiam, quis superci-  
lium tuum ferat. Qui tua legunt & amplectuntur do-  
cti sunt, qui æmuli scita, tamen si viciniora Euangelio,  
& ecclesiasticis doctoribus indocti & hæretici, Ne in-  
docti dicamur, tua nobis legendas, scilicet, ne cæci ha-  
beamur, oculi sunt effodiendi. Habes succinctim qua-  
ratione Lutherani simus, Quatenus Euāgelij & Chri-  
stianæ libertatis amicus est Lutherus, sibi nos deuicit,  
is si & tu fueris, nihil erit, quo minus & tibi simus ad-  
dicti. Proinde non oportebat nos conuicijs a tua in-  
cessi modestia, Neq; enim nos male audire debemus,  
qui sincera fide a Christianissimo theologo nō abhor-  
remus, neq; Lutheri causa deterior est, quod & indo-  
ctis vti magis pia probatur. Fatemur inscitia nostrā,  
& fortasse non minori gloria eam agnoscimus, quā  
tu laudes tuas passim ebuccinas. Indocti sumus, ne-  
scimus patrocinari luci turpis in immensum studio-  
sis, id quod nobis cum summo Pontifice commune  
est. Nam cum tu mercatorū conductiuus, contractū

societatis suæ plane iniquum, æquum declarari ab eo  
supplicibus peteres libellis, repullam es passus, nimirum  
quod supra captum pontificis maximi tua erant  
commenta, quando venali lingua & manu paratus  
eras, omnem semel scripturam non modo cogere, &  
torquere, sed & pessundare, ne redires inglorius. In-  
docti sumus, non videmus enim, qua ratione perfecti  
Christū pauperem sequantur, si pro temporarijs cau-  
sis iurent, sed quid nimirum ea in re & Erasmus illud  
seculi nostri sidus nobiscum, te cenfore, hallucinantur.  
Indocti sumus, siquidem enumerare non possumus  
varias primitiux ecclesiæ ceremonias, sed iterum se  
nobis associant plurimi viri alioqui doctissimi. In-  
docti sumus, Maiestatis diuinæ penetralia non ingre-  
dimur, sed nec magnus ille Paulus apostolus erube-  
scit ignorare, quæ tu in Chrysopasso coaceruas. Indo-  
cti sumus, possemus tamen multa huius generis af-  
ferre in medium quæ tibi magis quàm nobis dedecori ef-  
sent futura. In summa enim nulla tam auspicata per-  
egrinatio tua, quarum tu multas iuueniliter ne dica-  
mus ostentanter commemoras, quæ non & tibi & pa-  
triæ fuerit dehonestamento magis quam gloriæ. Nul-  
lus tam paruus a te libellus editus est, qui non aut ex-  
tremam sapiat barbariem, aut insignibus scateat erra-  
tis. Quare non imprudenter feceris Ecciprudentissi-  
me, si aliquandiu te intra penates tuos contineas, &  
laudem quam non potes assequi verbositate, silentio  
tibi vindices. Equidem quam impar cum doctis in-

cas certamen, hinc æstimare licet, quod nec indoctis  
formidabilis esse coeperis. Neq; tibi victoriam ex no  
bis temere polliceare, multi sumus indocti, & quam  
uis non omnibus sophisticis spiculis certare callemus,  
non pauci tamen docti validos librare contos, Quos  
declinare non poteris nisi positis conuicijs & propha  
nis artibus veræ Theologiæ & christo optimo Maxi  
mo, totum te tradideris.

Finis



RESPONSO  
DE LOS REYES CATOLICOS  
A LA INVOCACION DE LA VIRGEN  
MARIA EN EL DIA DE SU  
NACIMIENTO  
EN EL AÑO DE MIL Y CINCO  
CIENTOS Y CINCUENTA Y SEIS  
EN LA CIUDAD DE MADRID  
POR ALONSO DE BARRAL  
Escritor de Camara de Su Magestad  
Encomendado de su Real Audiencia  
de Sevilla  
En la Imprenta de Juan de la Cuesta  
en el año de mil y quinientos y sesenta y tres



176550